UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklēsiastikē Istoria

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Henrici Valesii Annotationes In Librum Nonum Historiae Ecclesiasticae Eusebii Pamphili.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478

Visual Library

HENRICI VALESII ANNOTATIONES IN LIBRUM NONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ EUSEBII PAMPHILI.

In Caput I.

Pag. 346. Τοῦ προτεθέντος. Idem valet ac τῷ προειρημένῳ, quo verbo utitur Eusebius infrà hac pagina.

κατὰ ἀμφὶ ταύτῳ ἐπαρχίας. Christophorsonus singulas Asiæ provincias interpretatur. Rufinus vero Pontum, Bithyniam, Galatiam, & reliquas circumquaque provincias intellexit: quæ erant sub ditione Galerij Imperatoris, excepta Orientis diœcesi, quam regebat Maximinus Cæsar.

Pag. 347. ὁ γοῦν παρ' αὐτοῖς. Apud Nicephorum legitur παρ' αὐτῷ, ut Sabinum Præfectum Prætorio Maximini fuisse intelligas. Recte tamen nostri codices habent παρ' αὐτοῖς in plurali numero. Nam Sabinus licet apud Maximinum Cæsarem in Oriente Præfecturam gereret Prætorij, tamen quia Præfectus creatus fuerat à Galerio, idcirco Imperatorum Præfectus dicitur, Galerij scilicet & Maximini. Quippe Cæsares jus creandorum Præfectorum non habebant, sed Præfectos ab Augustis creatos accipiebant, ut ex Amm. Marcellini pluribus locis demonstrari potest. Hinc est quòd Sabinus in edicto suo, quod hic refertur ab Eusebio, Imperatores semper in plurali numero appellat, ut provinciales intelligerent id præceptum fuisse ab Imperatoribus Galerio, Constantino, Licinio & Maximino. Possunt etiam hæc verba παρ' αὐτοῖς, accipi de rectoribus provinciarum quæ parebant Maximino Cæsari. De his enim in præcedente periodo loquitur Eusebius. Atque hæc expositio mihi verior videtur.

τοῦ βασιλέως ἐμφαίνει γνώμην. Rufinus hunc locum ita vertit: *Sed Sabinus qui per illud tempus præfecturæ culmen regebat, omnium provinciarum judicibus scribens, & prælatam Imperatoris inserens legem, manifestum efficit cunctis id quod Maximinus obscurare tentaverat.* In quo tamen Rufinus mentem Eusebij non est assecutus. Neque enim Sabinus Imperatoris Galerij constitutionem edicto suo præmiserat, ut facere solebant Præfecti Prætorio. Quippe Maximinus operam dederat, nè constitutio illa in notitiam provincialium suorum perveniret. Nam rescriptum Galerij magnopere ei displicebat; tum quòd Christiani, quos hactenus atrocissime persecutus fuerat, eius crudelitati subtracti erant; tum quòd nomen ipsius præfixum non erat supradictæ constitutioni. Sed Licinij quidem nomen post Galerium & Constantinum in eo rescripto legebatur: ipse verò, utpote adhuc Cæsar, nullum ibi locum habebat. Partim igitur pudore ac verecundia; partim præ indignatione, Maximinus eam constitutionem suppressit. Sabinus verò in Epistola sua ad Præsides provinciarum, levem duntaxat mentionem fecit eius constitutionis, ut Maximino morem gereret. Porro Christophorsonus βασιλέως nomine Maximinum hic intellexit, non ut Rufinus Galerium. Magis tamen placet Rufini interpretatio, cùm Eusebius Maximinum tyrannum potius vocare soleat quàm Cæsarem.

Pag. 348. πειραιτέρω αὐτοῖς τούτου τοῦ γράμματος. Non dubito quin scribendum sit τοῦ πράγματος. quam emendationem confirmat Nicephorus in cap. 24. l. 7 qui hunc locum sic expressit: μὴ προσῆκον ἐκείνοις πειραιτέρω φροντίδα τοῦ χριστιανῶν ποιεῖσθαι.

κεχειμασμένοι. Lapsos intelligit, quos naufragis comparat. Eosdem in libro 8. πεπειραμένους vocavit. Possis etiam vertere *vi tempestatis quassatis.*

ὀπτιλουμένας σωαγωγάς. Hoc loco σωαγωγὰς posuit pro σωάξεσι. Quo sensu etiam Dionysius Alexandrinus eam vocem usurpat, ut supra notavi in lib. 7. Duplex autem erat σωάξις: altera precum, altera Sacramentorum. De priore loquitur Athanasius in Apologia ad Constantium: καὶ γὰρ οὐκ ἐν καινίᾳ, ἀλλὰ σωαξις τῆς ἐυχῆς.

In Caput II.

Pag. 349. οὐδ' ὅλους ὅλη μιῶν ἐξ. Maximianus Galerius post constitutionem illam, quam pro pace & libertate Christianorum ediderat, non diu supervixit: sed paucis post mensibus pestilenti vulnere consumptus interijt, ut in appendice libri 8. refert Eusebius. Eius igitur morte audita, Maximinus Cæsar persecutionem adversus Christianos renovavit, seque ipse Augustum renuntiavit, cùm hactenus Cæsar tantum fuisset, & Galerij Augusti jussis parere necesse habuisset.

ὅσα γοῦν. In codice Med. Maz. & Fuk. legitur ὅσα δ' οὖν, quod & Gruterus in libris suis repererat.

αὐτὸς ἑαυτῷ καθ' ἡμῶν πρεσβεύεται. Elegans locutio, quam non intellexit Christophorsonus, nec Musculus. Maximinus submissis quibusdam improbis hominibus, sollicitaverat Antiochenses, ut legatos ad Comitatum mitterent, petituros ab se, ut Christianos omnes ex urbe ejicere ipsis liceret. Itaque Maximinus qui hanc legationem subornaverat, vere dici potuit, ipse ad sese legationem misisse, & Legati munere functus fuisse. Est etiam hic transpositio verborum familiaris Eusebio. Hæc enim verba ὑφ' τινων πονηρῶν ἀνθρώπων referenda sunt ad vocem παρορμήσας.

καὶ ἑτέροις δὲ ταὐτὸ ὑποβαλεῖν. Hæc cum antece-

dentibus connexuit Christophorsonus. Nicephorus verò legit: καὶ ἑτέροις δὲ ταὐτὸ ὑποβαλὼν διαπράξασθαι. Quam scripturam secutus esse videtur Rufinus, qui ita vertit: *Sed & alios per singulas civitates similiter deterrimos cives ad simile facinus impellit.* Vide caput 4. hujus libri, ubi eadem verba repetuntur.

λογιστεύειν. Logistæ dicebantur à Græcis curatores civitatum. Unde λογιστεύειν est curatoris officio fungi. Philostratus in Nicete Sophista: ἀνὴρ ὑπατικὸς ὀνομαζόμενος, τοὺς Σμυρναίους ἐλογίστευε πικρῶς καὶ δυςρόπως, &c. Id est: *Rufus quidam vir Consularis, Curator erat Smyrnæorum, & in eo munere acerbum se ac morosum præbebat.* Vide quæ notavi ad librum 14. Amm. Marcellini pag. 36.

In Caput III.

διὸς φιλίου. Jovis Philij templum Antiochiæ memorat Julianus in Misopogone & Libanius, ni fallor, in Antiochico.

γενεταίαις ἱδρύει. Variæ erant Gentilium cæremoniæ in erigendis Deorum simulachris. Aliis enim ritibus Jupiter Ctesius, aliis Herceus, alijs Philius consecrabatur. Ac Jupiter quidem Ctesius, cujus simulachrum in cellis penariis habebant, cadisco dedicabatur. Ritum consecrationis refert Anticlides in ἐξηγητικῷ, id est, in libro de ritibus sacris apud Athenæum in lib. 11. cap. 6. Simulachra autem Jovis Hercei cum ollis consecrabantur. Aristophanes in Danaidibus.

μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς ἑρκείου κύτραις.
μεθ' ὧν ὁ βωμὸς οὕτω ἱδρυθῆ ποτὲ.

Eodem ritu Mercurij & aliorum simulachra erigebant: idque dicebant κύτραις ἱδρύειν. In his ollis pultem aut legumina coquebant, ex quibus libamenta Diis à se consecratis offerebant, in memoriam ptisci victus, & antiquæ frugalitatis. Quod si numen suum impensius colere vellent, tum cæsâ victimâ illius simulachrum erigebant. Quod dicebatur ἱδρύειν ἱερείῳ, ut docet Aristophanes in Irene, eiusque Scholiastes pag. 693. Adde Suidam in voce κατοιῶ. Præter has cæremonias utebantur interdum magicis consecrationibus, quemadmodum Theotecnus fecisse dicitur in simulachro Jovis Philij dedicando.

In Caput IV.

Pag. 350. προσφιλὲς δ' εἶναι. Scribendum puto προσφιλές γε εἶναι.

ἀρχιερεῖς πρὸς αὐτὸν Μαξιμίνου. Sacerdos provinciæ suffragiis Decurionum creabatur: ijque potissimum ad honorem sacerdotij promovebantur, qui omnibus curiæ muneribus egregiè perfuncti essent, ut legitur in codice Theodosiano, titulo de Decurionibus. Id ergo ut novum & inusitatum notat Eusebius, quòd Maximinus ipse, sacerdotes provinciæ designaverit.

ἔκπλωτος. Rectius in codice Med. & Maz. ἔκτοπος legitur. Sic etiam scriptum habet codex Fuketij & Savilij.

In Caput V.

Πιλάτου ὑπομνήματα. De horum Actorum falsitate, vide quæ notavit Eusebius in cap. 9. lib. 1. Eorundem Actorum mentio fit in Actis Præsidialibus Tarachi, Probi & Andronici cap. 9. ubi Maximus Præses hæc dicit: *Iniquè non scis, quem vocant Christum, hominem quidem fuisse, factum sub potestate Pontij Pilati & punitum, cujus extant Acta passionis.* Porro hæc Acta Præsidialia Tarachi, Probi & Andronici, gesta sunt Diocletiano 4. & Maximiano 4. Coss. ut quidem habet inscriptio primæ interrogationis. Ex quo efficitur, Acta illa Pilati diu ante persecutionem fuisse confecta, contra quam Eusebius affirmare videtur hoc loco. Verùm ut liberè dicam quod sentio, mendosa mihi videtur inscriptio illa Actorum Præsidialium; scribendumque Coss. Diocletiano Aug. 9. & Maximiano 8. Primo enim mentio fit in illis Actis præcepti Imperatorum, quo scilicet jussum erat, ut omnes Diis immortalibus sacrificarent. Hæc autem præcepta sunt anno decimo nono Imperij Diocletiani. Deinde in cap. 9. hæc leguntur: *Præses dixit. Maledicis Principi qui diuturnam & altam pacem præstitere. Andronicus dixit: Ego execratus sum pestem & sanguibibuli, qui evertunt mundum.* Primum illud de alta ac diuturna pace, convenire non potest in quartum Consulatum Diocletiani, cùm eo tempore barbari imperium Romanum undique aggrederentur. Deinde non video quomodo sanguibibuli dici possint Diocletianus & Maximianus, nisi post annum 19. Diocletiani quo cœpta est persecutio. Accedit argumentum illud de Actis Pilati, quæ hujus persecutionis tempore ficta esse tradit Eusebius.

γνώμη τοῦ μείζονος. Rufinus hæc ita vertit: *Quæ acta per omnes regni sui provincias prælaudatus princeps præcepit.* Rufini verba expressisse videtur Nicephorus in lib. 7 cap. 26. sic enim habet: ἐπὶ πάντων χεῖρα σφῶν διαπέμπονται, καὶ τινων προγραμμάτων προτιθεμένων. Certe in codice Fuketij & Savilij scriptum est δι' προγραμμάτων παδεκτυρίου, &c.

λέγειν ἐγγράφως. Pessime Christophorsonus vertit, *asseveranter dicere.* Rectius Musculus *tradita scripto.* Langus *scripto testimonio.* Nam testimonium non solum voce, sed etiam scripto perhibetur. Sed optime Rufinus interpretatur: *Acta præstiterunt.* Hoc est quod dicitur in Gestis purgationis Cæciliani, *professio tua Actis hæret.*

ἤθελον. In codice Med. & Maz. legitur ἐθέλω. Sic etiam in Fuketiano & Saviliano.

In Caput VI.

ἐπίσκοπος Σιλβανός. Alius hic est à Silvano Episcopo, de quo Eusebius in libro de martyribus Palæstinæ cap. ult. Hic enim Emisæ Episcopus fuit; ille Gazæ. Et prior quidem in metallis Palæstinæ una cum alijs novem ac triginta martyribus capite truncatus est, anno persecutionis octavo. Hic verò apud Emesam in Phœnice bestiis objectus anno persecutionis nono. De cujus martyrio jam supra locutus est Eusebius in libro 8. licet non suo loco.

Πέτρος τῶν κατ' Ἀλεξάνδρειαν. Hujus martyrium jam supra retulit Eusebius in libro 8. sed non suo loco. Nam liber 8. ultra octavum annum persecutionis non progreditur. Petrus verò Alexandrinus, passus est anno persecutionis 9. ut diserte affirmat Eusebius in fine lib. 7. septimo Calendas Decembris, ut legitur in excerptis Chronologicis à Scaligero

à Scaligero editis. Quibus consentit Usuardus, Ado & vetus martyrologium Romanum. Græci verò die 24. Novembris ejus natalicia celebrant. Porro Acta passionis illius MS. Græcè exstant apud R. P. Franciscum Combefisium, qui ea cum aliis quamplurimis brevi publicaturus est.

Λικιανὸς. Hujus martyrium retulit etiam Eusebius in libro 8. cap. 13. sed turbato ordine temporum. Hic autem distinctiùs notat tempus quo passi sunt Petrus & Lucianus; nempe sub Maximino; non autem sub Galerio Maximiano, ut vult Baronius, ad annum Christi 311. cap. 3. Errat etiam idem Baronius, qui Petri Alexandrini martyrium confert in annum Christi 310. Passus est enim Petrus anno Christi 311. cùm persecutionis annus nonus ageretur. Qui error Baronii inde profluxit, quòd persecutionis exordium anno citiùs inchoavit; quem errorem abunde supra refutavimus. Porro cùm Luciani martyrium sub Maximino contigerit, Anthimi quoque Nicomediensis Episcopi martyrium sub eodem Maximino collocandum videtur. Certe Anthimus paulo ante Lucianum passus est, ut docet Luciani Epistola ad Antiochenses, quam retuli ad caput 13. lib. 8. Id etiam colligitur ex Actis Luciani martyris, in quibus tamen Maximianus pro Maximino scribitur, solemni Græcorum errore.

πλωικαῦτα βασιλεὺς διαφρίζων. Mortuo Galerio Maximinus Cæsar Asiam ac Bithyniam occupavit; quæ provinciæ unâ cum Illyrico & Thracia sub ditione fuerant Galerii. Has enim provincias Galerius sibi retinuerat, ut scribit Eutropius, & vetus auctor in excerptis quæ ad calcem Amm. Marcellini jampridem edidi. Nicomediæ igitur morabatur Maximinus, quæ caput erat Bithyniæ, & Imperatorum domicilium, jam inde à temporibus Diocletiani. Porro βασιλέως nomine Maximinum hic intelligi, apertissime docent, quæ sequuntur. Quocirca miror Baronium, qui Lucianum sub Galerio, non sub Maximino passum esse dixerit: cùm Eusebius qui Luciani fuit æqualis, à Maximino eum occisum esse testetur.

In Caput VII.

Pag. 352. ὁ μὴ δὲ ἄλλοτέ ποτε. Non immeritò quis mirari possit, cur Eusebius id nunquam antea visum esse dicat. Nunquamne antea decreta civitatum adversus Christianos, nunquamne Principum edicta publicè proposita fuerant? id profectò negari non potest. Non igitur hoc negat Eusebius: sed tantum negat, edicta illa in æs incisa fuisse. Nam ut supra notavi ad lib. 8. edicta principum in charta perscribebantur.

κατὰ πᾶσαν ἔφιρον ἡμέραν. Rufinus & Langus vertunt *per totum diem*. Sed Musculus & Christophorsonus interpretantur *quotidie*. Sic infra cap. 8. διὰ πάσης ἡμέρας.

φοὶ ὧν ἐλαθεὶς. In codice Maz. Med. & Fuk. scriptum reperi ἐλαθεὶς. sic infra in fine capitis 9. ubi vulgo legitur φοὶ θείας συμπλαθεὶς δίκης, Med. & Fuk. codex habent συμπλαθεὶς.

οἷς ἐ φιλῶν καὶ ἐπικίνων ῥημάτων. Musculus & Christophorsonus hæc ad Deos referri existimarunt. Ego ad Tyrios ipsos retuli. Perstringit autem Maximinus fidem Christianorum his verbis: ἐπικίνων ῥημάτων πίστις, quasi fides Christianorum nihil præter verba haberet, ac rebus ipsis vacua esset.

ἐπιδημία. Crediderunt veteres, certis diebus Deos in quasdam urbes ipsis acceptas commeare; easque ἐπιδημίας Θεῶν appellabant. Sic apud Delios & Milesios adventus Apollinis colebatur; apud Argivos Dianæ, ut scribit Menander Rhetor in cap. de hymnis ἀποπομπικοῖς. Aristides in Panathenaico πότερον τὰς Θεῶν ἐπιδημίας εἴποι τίς. Dio Chrysostom 9 in oratione quæ Tarsica 1. inscribitur pag. 408. φασὶ τοὺς οἰκιστὰς ἥρωας, ἢ θεοὺς πολλάκις ἐπιστρέφειν τὰ αὐτῶν πόλεσι, τοῖς ἄλλοις οὔτας ἀφανεῖς, ἔνιοι θυσίαις καὶ τισιν ἑορταῖς δημοτελέσιν. &c. De hujusmodi Deorum adventu Poetæ passim loquuntur. Virgil. lib. 4.

Qualis ubi Hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

Hinc est, quod adventus Impp. in veteribus nummis & in Calendario inscriptus cernitur. Sed & Christiani de quibusdam Sanctis idem credidere: ut de Thecla Dalisanda ab urbe Seleucia commeante sub diem ipsius festum, & de Paulo Româ Tarsum invisente, ait Basilius in lib. 2. de Thecla cap. 10.

ἔρπειν ἀρχαῖοι. Apud Nicephorum legitur ἔρπειν καὶ ἔρχεσθαι. Itaque legendum videtur, καὶ ἔχεσθαι ὥσπερ ἀμελήθεισαν, &c. scribi etiam potest καὶ ἀρχαῖος ὥσπερ, &c. eodem sensu. Pag. 353.

τῇ θρησκείᾳ. Scribendum videtur τῇ ἀυτῇ θρησκείᾳ.

φρόσωψιν σημείοις. Alludit ad aspectum & σημεῖον planetarum. Dicitur autem σημεῖον in planetis, cùm in epicyclo suo nec progredi amplius, nec retrocedere adhuc videntur.

ἐν φοβερῷ τρόμῳ καταδυομένῳ. Scribendum videtur ἀναδυομένῳ. Duo enim terræ motuumm genera sibi invicem opposita, hic à Maximino referuntur; ῥαγματίας scilicet & χασμυτίας. De quibus vide Amm. Marcellinum, & quæ ibi notavi. Innuit autem Maximinus terræ motum illum, qui urbem Tyrum afflixerat, anno ante persecutionem Diocletiani, ut refert Eusebius in Chronico.

πλὴν ἔμφυτον αὐτῇ φρόθεσιν. Scribendũ videtur κατὰ πλὴν ἔμφυτον, ut Musculus & Christophorsonus legerunt. Paulo post pro ὅσῳ φροσφιλὴς malim scribere ὡς φροσφιλής. Pag. 354.

τὸ δὲ ὑμᾶς. Scribendum puto τε ὑμᾶς, supplendo μαρτυρίαν.

In Caput VIII.

οἱ μὲν οὖν ἐξ ἔθους. Ab his verbis inchoatur cap. 8. in vetustissimo Mazarino codice, cui consentit codex Fuk. ac Rufinus. & ratio ipsa ita postulat. Pag. 355.

ὅτε δὴ τῆς αὖθις τὰ εἴδωλα. Malim scribere ὅ τε δὴ.

κατεσεύχετο. In codice Maz. Med. & Fuk. scribitur κατεσεύχετο.

μετὰ τῶν σωμάθων αὐτοῖς αὐλῶν. Gentilium cadavera cum tibiarum & neniarum cantu efferebantur. Quam in rem præficas habebant & sitinices, de quibus notavi ad Amm. Marcellini librum 14. Fallitur itaque Christophorsonus, qui pro μετὰ hoc loco substituit ἀντὶ. Sic enim vertit: *Neq; aliud quicquam spectare licebat, quàm miserabiles fletus, quos pro tibiarum cantu & strepitu ipsis in more posito ediderunt.* Sed vulgatam Scripturam omnes scripti codices, ipseque adeò Nicephorus tuentur. Pag. 356.

λοιμῶ τε ὑμῶ καὶ λιμῶ. In codice Fuk. & Savil. legitur λοιμῷ τε ὑμῶ καὶ λιμῷ, quod rectius mihi videtur. Pag. 357.

ὑπὸ μίαν ἐκφορὰν κομιζόμθα. Codex Maz. Med. & Fuk. habent φροκομιζόμθα. Paulo post lego cum

Christophorsono φὴ πάντας ἀπωδῶς. Ceterùm quod hic de sepultura cadaverum refertur, satis indicat morem illum cremandi cadavera eo tempore penitus obliteratum fuisse apud Romanos. Quod quando primum cœperit, difficillimum est dicere. Videntur tamen à Judæis & Christianis hunc morem paulatim hausisse Romani, de quo insignis est locus Macrobii in lib. 7. Saturnalium cap. 7. *Deinde licet urendi corpora defunctorum usus nostro sæculo nullus sit, lectio tamen docet, eo tempore quo igni dari honos mortuis habebatur*, &c.

In Caput IX.

In omnibus codicibus transpositi erant tituli capitum, & capiti 9. adjectus erat titulus qui capitis 10. esse debuerat: contrà capiti 10. tribuebatur is qui proprius erat capitis 9. Hunc errorem in versione nostra emendaveramus. Sed quoniam nihil in hac editione præter scriptorum codicum fidem corrigere propositum nobis fuit, ideò hunc errorem retinere maluimus; contenti lectorem de mendo admonuisse.

γεγονίναι προειρήκαμεν. Post has voces in vetustissimo codice Maz. & Med. hæc sequuntur verba: λικιννίου τε τοῦ μετ' αὐτὸν τυραννήσαντος καὶ εὐσεβείᾳ τετιμημένων, πρός τε παμβασιλέως Θεοῦ τε τῶν ὅλων καὶ σωτῆρος· δύο θεοφιλῶν καὶ τὸ δύο δυσσεβεστάτων τυράννων ἀνεγκλήμενον, &c. Optime. Atque ita Eusebium scripsisse ex sequentibus apparet. Nam in fine periodi, mentio fit tam Licinii quàm Constantini: ex quo planum fit, Eusebium de utroque supra locutum fuisse. Sed exscriptor nomen Licinii consultò expunxit ob subsecutam ejus impietatem. Cum codice Maz. & Med. consentiunt etiam Fuk. & Savil.

Pag. 358. τριστάτας. Ita legitur Exodi cap. 15. ubi multa Interpretes afferunt de hujus vocis significatione. Ego ternos ex curribus pugnantes intelligo, ut recte habet vulgata versio, quam immeritò reprehendit Hieronymus. φωτοστάτης. φωταστάτης vocabula sunt tactica. Eadem forma τριστάτης. Recte ergo Rufinus *ternos statores* vertit.

Pag. 359. ᾠδή πως ἀνυμνεῖν. Non probo interpretationem Christophorsoni, qui vertit *canere potuisset*. Immo vertendum erat *cecinerit*, ut ex sequentibus apparet. Ait enim Eusebius, non verbis, sed factis ipsis Constantinum ita cecinisse: ταῦτα γὰρ ὅσα τέκνοις ἀδελφὰ, κωστάντινος τῷ Θεῷ ἔργοις αὐτοῖς ἀνυμνήσας.

βοηθὸς καὶ σκεπαστὴς ἐγένετό μοι. In optimo codice Maz. & in Savil. hic locus ita scribitur βοηθὸς καὶ σκεπαστής μου Κύριος ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν. Quam Scripturam confirmat Rufinus, sic enim vertit: *Adjutor & Protector meus, & factus est mihi in salutem.* Locus est in cap. 15. Exodi, ubi Romana 70. Interpretum editio voces illas μου Κύριος non habet. Quod profectò miror: Nam Eusebium editione 70. Interpretum usum esse, pro certo habeo. Paulò post ubi legebatur: θαυμαστὸς ἐνδόξως ποιῶν τέρατα, restitui θαυμαστὸς ἐν δόξαις ex auctoritate codicis Maz. & Fuk. quibus Romana 70. subscribit editio, ut & interpretatio Rufini.

καὶ τῶν ἄλλων διασημοτάτων. Non intellexit hanc vocem Christophorsonus, nec Musculus. Sic Græci vocabant eos, quos Latini *perfectissimos*. Hic autem titulus proprius erat equestris ordinis, ut Clarissimi dignitas, peculiaris erat Senatorii ordinis. Certe Procuratores Principis & rationales, quos ex equestri ordine fuisse constat, Perfectissimi vocabantur. Porro hæc dignitas in vetustis inscriptionibus his fere notis designatur P. V. id est, vir perfectissimus. Sic in Thesauro Gruteri pag. 1098. & in Epist. 40. lib. 10. Symmachi. Vide quæ notavi ad librum 21. Amm. Marcellini pag. 202.

ὑπὸ χεῖρα ἰδίας εἰκόνος. Ita legitur etiam in lib. 1. de vita Constantini cap. 40. Malim tamen scribere ὑπὲρ χεῖρα. quod confirmat Rufinus: *Vexillum Dominicæ crucis in dextera sua jubet depingi.*

παρεκθέσθαι τὸ κελευσθέν. Pessime Christophorsonus vertit *divulgare*. rectius Musculus interpretatus est *prævaricari*. Quamquam neque hic mentem Eusebii assecutus est. παρεκθέσις idem est, quod ἐν ὑφεύσῳ θέσθαι, ut dixit Eusebius in principio hujus libri, id est, *seponere* & *occultare*, ut noluerat fecerat Maximius, cùm rescriptum Galerii pro Christianis ad ipsum missum fuisset. Tunc verò cùm Constantinus & Licinius victo Maxentio, legem pro Christianis ad eum miserunt; eam supprimere non ausus est Maximinus, metu scilicet intentionum, ut addit Eusebius. Porro Nicephorus cùm eam vocem non intelligeret, ὑφεστῶσαν pro substituit.

Ἰόβιος Μαξιμῖνος. Jovii cognomentum primùm sumpsit Dioclettianus, ut collega ejus Maximianus Herculii. Postea cùm Cæsares facti essent Constantius & Galerius: Galerius quidem qui Diocletiani filiam duxerat, & qui cum Diocletiano in Oriente fere semper versatus est, Cæsar Jovius appellatus. Sic enim in Chronico Alexandrino dicitur, & in vetere nummo quem edidit Joannes Tristanus. Constantius verò, utpote qui Maximiani Herculii privignam duxerat, & cum illo in Occidente retinebatur, Cæsar Herculius dictus est, ut ex vetere panegyrico observavit frater meus Hadrianus Valesius. Mortuo deinde Galerio, Maximinus qui Cæsar ab illo factus fuerat, cognomentum Jovii assumpsit, ut ex hoc Eusebii loco discimus.

εἰς τὸν ἀνατολικόν. Orientis nomine Ægyptus etiam continebatur. Hujus enim administratio commissa fuerat Maximino Cæsari. Quippe Maximinus cùm Cæsar à Galerio factus fuisset, omnes ea provincias quas Diocletianus sibi retinuerat, regendas accepit. Atque hinc factum est, ut Ægyptus diu postea inter provincias Orientis numerata sit. Sic certe Amm. Marcellinus in lib. 14. ubi provincias Orientis recenset, inter has numerat Ægyptum & Mesopotamiam. Sed & Ægyptus mitio fuit sub Comite Orientis, ut docet vetus inscriptio quæ sic habet: M MAECIO MEMMIO FURIO BALBURIO CÆCILIANO PLACIDO C. V. COMITI ORIENTIS. ÆGYPTI MESOPOTAMIÆ. CONSULI ORDINARIO &c.

τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ. Anno scilicet Christi 311. Maximiano octies Cos. Eo enim anno cum Galerius mortuus esset, Maximinus Bithyniâ occupavit, quam Galerius una cum Illyrico & Thraciâ sibi retinuerat. Vide quæ notavi supra c. 5. ubi de Luciano martyr.

ἐν τῇ ἰδίᾳ προαιρέσει τὸν βούλεσθαι ἔχειν. Hæc proverbialiter dici videntur. hoc est quod dicit Persius:

Velle suum cuique est.

Sep post hæc verba videtur quidpiam deesse.

ἤρεσεν ὦν. Ultima vox superflua est, nec apud Nicephorum habetur. Certe totus hic locus valde intricatus est & obscurus. Ac primùm quidem difficultas est in his verbis: ὅτι δὴ αὐτὸ τοῦτο, &c. quæ Langus & Christophorsonus interpretantur *propterea quod*. Potest tamen adverbium illud ὅτι δὴ, simpliciter sumi pro *quòd*. Ut sit sensus hic: Nicomediensibus benignè respondi, ita semper observatum fuisse à superioribus Principibus. Atque hic sensus re nunc diligentiùs examinata, mihi magis placet. Posteà pro his verbis ἤρεσεν ὦν, emendo ἤρεσέ νιῦν, certissimâ conjecturâ. Nam νιῦν opponitur verbis præcedentibus οἱ ἀρχαῖοι αὐτοκράτορες. Sic igitur vertendus est hic locus: *Necesse habui benignè respondere, ita semper observatum fuisse à cunctis retrò Imperatoribus: & nunc quòque Diis immortalibus per quos genus humanum & Reipub. permanet status idipsum placuisse, ut hujusmodi petitionem quam de cultu Deorum suorum à me detulissent, confirmarem.* Certe adverbium ὅτι δὴ, ita sumitur ab Eusebio pag. 171.

καὶ διὰ ἐντολῶν. Mandata hoc loco Maximinus ab Epistolis distinguit. Quippe Epistolæ quidem Principum, ad absentes Magistratus mittebantur; mandata verò ipsis præsentibus tradebantur à Principe; antequam in provincias proficiscerentur; brevi libello comprehensa. Inter quæ primum illud erat, ut Præsides valetudinem suam diligenter curarent. Lucianus de lapsu quem inter salutandum admiserat: τί δ' ἀχὶ καὶ ἐν τῷ τῶν καὶ ἐντολῶν βιβλίῳ, ὃ ἀεὶ καὶ ὑμῖν βασιλεῖς λαμβάνετε, τοῦτο φρόντιστον ὑμῖν ἦν παράγγελμα, τῆς ὑγείας τῆς ἡμετέρας ἀπὸ ὅπη μελοίατο. De his Principum mandatis passim loquuntur juris auctores. Dio lib. 53. p. 506. ἐντολάς τινας καὶ τοῖς ὅπλοις, καὶ τοῖς ἀνθυπάτοις, τοῖς τε ἀντιστρατήγοις διδῶσιν, ὅπως ὅπη ἐκτὸς ἐξίωσι. Id est: *quædam etiam mandata Imperator dat Procuratoribus & Proconsulibus & Legatis Propretore, ut sub certis legibus & conditionibus in provincias proficiscantur. Nam & hoc tunc primùm institutum est, utq; annuum salarium tum ipsis tum aliis præberetur.* Sic vertendus est ille Dionis locus; quem Xylander partim omisit, partim interpolavit. Deniq; Philo in oratione in Flaccum pag. 757. διὰ τὸ φοβὸς μάγιστον μάξιμεν ἐντολῶν μίλλεν, &c. ubi Gelenius male *Epistolas* vertit.

τὸ τοιοῦτον ἔθνος διαφυλάξαι. Scribendum est ἔθνος, non ἔθνος; quod miror nec à Musculo, nec à Christophorsono animadversum fuisse.

ἀλλὰ ἀνεξικάκως. Codex Medicæus & Maz. duas hic voces addunt ἀλλὰ ἀνεξικάκως καὶ συμμέτρως. Quibus subscribit etiam codex Savilii.

βενεφικιαλίων. Beneficiarii dicebantur milites, qui beneficio Tribuni promoti erant, immunes à plerisque muniis & operibus militaribus, ut docet Vegetius. In ultimo edicto Maximini quod refertur c. 10. legitur ὀφφικιαλίων. Horum mentio fit in passione sancti Fructuosi Episcopi, quæ sic incipit in MS. *Cùm à Valeriano & Gallieno Impp. data esset jussio per universum orbem, ut Christiani sacrificarent, Æmilianus præses adveniens in civitatem Terraconensium immolavit Diis; & surgens de nocte, alia die illuscente Dominica misit beneficiarios ad domum Fructuosi Episcopi, id est, Aurelium, Festucium, Ælium, Pollentium, Donatum & Maximum ad perducendos ad se sanctos Dei.*

24 162. ἐξουσίᾳ καταλίποις. Scribendum est καταλιπεῖν, ut habet Nicephorus. subauditur enim πρόσκεσι. Paulò ante ubi dicitur ἐπιγνώσεσι πρόσλαβε est enallage; pro ἐπιγνώσκοι πρόσλαβεῖν. In codice Fuk. legitur πρόλαβοι.

διατάγματι ὑπὸ τοῦ προτεθέντι. Moris erat ut Præfecti Prætorio, simul atque legem Imperatoris acceperant, edicto suo proposito eam provincialibus publicarent. Et interdum quidem ipsam Imperatoris legem edicto suo præponebant; ut notavit Jac. Sirmondus in libro 2. propemptici cap. 2. Interdum vrrò legis mentione dumtaxat facta, edictum suum proponebant. Sic certe Sabinus Præf. Prætorio fecisse dicitur in cap. 10. hujus libri. Quanquam Rufinus Sabinum dicit legem Imp. edicto suo præposuisse. Sic enim habet: *Sed Sabinus qui per id tempus Præfecturæ culmen gerebat, omnium provinciarum rectoribus scribens; & prælatam Imperatoris inserens legem, &c.* Fatendum certe est, leges Imperatorum ut plurimùm antelatas fuisse edictis Præfectorum Præt. Cujus rei illustre exemplum habemus in collatione Carthaginensi, ubi post recitatam Epistolam Impp. ad Marcellinum Tribunũ & Notarium, jubetur recitari edictum Marcellini, quod sic incipit: *Quid clementissimus Princeps D. N. Honorius pro Catholicæ fidei confirmatione decreverit, antelatorum apicum tenore monstratur, &c.* Idem etiam de Epistolis Imperatorum sentiendum est: quas Magistratus semper suis jussionibus præponebant. Sic Himerius Rationalis Ægypti in Epistola ad Præpositum Marcotæ quam refert Athanasius in Apologia: φρόντισον τοίνυν πρὸς ὑγιὲς καὶ τῷ ἀντιτύπῳ τοῦ θείου γράμματος καὶ μεταποιείσθαι τοῦ σεβάσματος προτέτακται, &c.

σινοδεύειν κρατεῖν. Pro his verbis Nicephorus habet σινάγειν, quam quidem ejus interpretationem magnopere probo. Nam σινόδος apud Eusebium, non semper significat Concilium Episcoporum, sed interdum pro Ecclesiasticis Conventibus sumitur.

αὐτῷ τε ἐπιτρέπειν ἐπὶς ἀλκεσὰν. Musculus vertit: *Maximino, ut ista concederet, scripserant.* Eundem quoque sensum, sed pluribus verbis expressit Christophorsonus: Ego aliud sibi voluisse Eusebium existimo: Constantinum scilicet ac Licinium scripsisse Maximino, se permisisse Christianis, ut conventus agerent & Ecclesias ædificarent. Si quis tamen interpretationem Musculi sequi maluerit, per me licet: Mihi quidem nequaquam verisimile videtur, Constantinum ac Licinium Maximino collegæ suo mandasse ut hæc concederet Christianis. Id enim nimis arrogans fuisset.

In Caput X.

ἐκπεφεύγεσθαι δ' αὐτόν. Hujus verbi vim non intellexerunt Interpretes. Quod equidem miror; cùm vulgata lexica eos docere potuerint verbi hujus significationem. Porro ab hac voce caput 10. orditur vetustissimus codex Mazarinus. Cujus auctoritate conjecturam meam confirmari non mediocriter sum gavisus. Nam antequam eum codicem nactus essem, à proxime sequenti periodo caput 10. inchoaveram. Cum codice Maz. consentit etiam Reg. & Fuk.

πρῶτον ἑαυτὸν ταῖς τιμαῖς ἀνακρίνειν. Id est, in titulis legum & Constitutionum. Item in inscri-

ptionibus operum publicorum, ſtatuarum & imagi- A num ſe Maximinus priore loco nominavit ante Conſtantinum & Licinium collegas, qui tamen ſeniores erant Auguſti. Verùm Maximinus cùm Cæſar ante ipſos creatus fuiſſet, principem locum ob id ſibi vindicabat.

Pag. 363. εἰς ἀπόνοιαν. Nicephorus inverſo ordine legit ὑπτείνας δὲ εἰς μανίαν τὰ τῆς ἀπονοίας. non male. ἀπόνοια pro ſuperbia ſumitur, ut ſæpe in locis occurrit apud Joannem Chryſoſtomum.

τὰ πάντα κινήσας. Noſtri codices omnes habent κυκήσας. Quod confirmat etiam Nicephorus. Quare neſcio unde vulgatam Scripturam hauſerit Rob. Stephanus. Nam & Regius codex, quem ubique Stephanus expreſſit, diſerte ſcriptum habet κυκήσας.

λιπὼν τῶν νίκης ἐξ αὐτῶν τῶν πάντων ἑνὸς ἐν μόνῳ θεῷ φυ. Hoc loco noſtri codices Maz. Med. & Fuk. aliquot voces interſerunt in hunc modum: τῷ τότε κρατοῦντι φυταρνιθείσης. Quæ voces cùm tertia abhinc linea iterum legantur, parum hic neceſſariæ ſunt. B

ὁπλιτικόν. Pedeſtres Maximini copias intelligi puto. Porro de hac Maximini pugna adverſus Licinium in Illyrico, ſolus ex Hiſtoricis Zoſimus loquitur in lib. 2. ubi ſcribit Licinium primo quidem cladem aliquam accepiſſe: ſed mox repetito prœlio, Maximinum in fugam verſum ad Orientis partes ſe recepiſſe, & de reparando exercitu cogitaviſſe. Quod quidem mirificè convenit cum Euſebii noſtri narratione, qui ſcribit Maximinum fuſo exercitu ſuo, ad ſuas partes, id eſt, in Orientem ſe recepiſſe. Pugna igitur illa in Europæ partibus pugnata eſt, anno Chriſti 313. Conſtantino 3. & Licinio 3. Coſſ. ut recte notat Sigonius in lib. 3. de Occidentali Imperio. C

Pag. 364. φρονεῖν δεῖ. Delenda eſt vox δεῖ, quam Nicephorus non agnoſcit. Hæc enim omnia pendent ex verbo quod in fine prolixæ periodi poſitum eſt. Solent quippe Imperatores in legibus ſuis componendis longas periodos adhibere; id Majeſtati Regiæ congruere exiſtimantes. Quod hodieque Reges noſtri faciunt. Paulo poſt ſcribo ex eodem Nicephoro, & ex codice Medicæo & Mazarino & Fuk. & Savil. οἷς τὰ λυσιτελῆ πάντων μάλιστα κατορθῶται.

δοθέντων γραμμάτων. Intelligit Epiſtolam ſuam ad Sabinum Præf. Præt. quam retulit Euſebius ſupra in cap. 9. Eam ſuperiori anno Maximinus datam eſſe dicit, id eſt, anno Chriſti 312. Conſtantino II. & Licinio II. Coſſ. Ex quo ſequitur, poſtremum hoc edictum Maximini ſcriptum eſſe anno Chriſti 313. Conſtantino III. & Licinio III. Coſſ. Porro inter Epiſtolas & edicta Imperatorum hoc præcipuum diſcrimen eſt, quòd Epiſtolæ quidem nomen eorum ad quos miſſæ ſunt adſcriptum habent; cùm edicta omnes generaliter alloquantur. Et edicta quidem publicè proponuntur. Epiſtolæ verò offeruntur eis ad quos miſſæ ſunt, ut legitur in geſtis purgationis Cæciliani pag. 28. nec proponi ſolent, niſi nominatim additum ſit in fine Epiſtolæ, *proponatur*. Denique in Epiſtolis nomen duntaxat Imperatoris cum pauciſſimis titulis præfigitur. In edictis verò omnes tituli nullo omiſſo, diligenter & ambitiosè ponuntur. D

τῷ τοιούτῳ ἔθνει. Rufinus legit ἔθνεσι, ſic enim vertit, *ut ſi quis vellet genti huic vel religioni adhærere*. Vide quæ ſupra notavi ad cap. 9.

παρεισδυομένῳ. Langus vertit *male accepit*, quod equidem valde probo. Nam παρεισδυομένῳ proprie ſignificat male interpretari. At Muſculus, cumque ſecutus Chriſtophorſonus verterunt negligere, pro nihilo habere, minus recte. In codice Fuk. & Savil. legitur παρ' οὐδὲν ἐτίθεντο. Quod videtur ſcholii vice ad marginem primò adſcriptum, poſteà in textum irrepſiſſe.

ἀμφιβολίας τοῦ φόβου. Scribendum videtur ἀμφιβολίας τε φόβου.

οὐδὲν αὐτῷ ἐστιν. Sic habet Regius codex. Sed in Medicæo ac Mazarino legitur οὐδέν. Nicephorus verò habet οὐδὲν αὐτῷ ἐστιν, non male. οὐδὲν tamen mallem. Cum Nicephoro conſentiunt codex Fuk. & Savil.

εἰς χάρισμα δίδοται. Data ab Imperatoribus intelligo. Solebant enim Imperatores, prædia quæ fiſco applicata fuerant petentibus donare. Vide titulum in codice de petitionibus.

πολεμάρχοις. In codice Regio Fuk. & Mazarino legitur πολεμάρχαις, rectius ni fallor. Eſt enim epithetum vocis præcedentis στρατηγοῖς. Paulo poſt codice Med. & Maz. ſcribe: πολλαῖς ἀνδρείαις. Prior vox deeſt in vulgatis editionibus.

ἐπ' αὐτῷ πρὸς πεδίῳ. Improprie locutus videtur pro eo quod alii dicerent ἐπὶ τὸ πεδίον. Sic alibi dixit πρὸς δικαστήριον, & πρὸς βῆμα τοῦ. Sed & πρὸς, videtur poſitum pro οὐδέν.

προπηδῶσιν αὐτῷ τὰ ὄμματα. Idem teſtatur Chryſoſtomus in oratione de ſancto Babyla contra gentiles: τοὺς μὲν γὰρ πάλαι βασιλεύσαντας, οἱ τὰ τοιαῦτα τετολμήκασι, μετὰ πολλῶν καὶ ἀφορήτων συμφορῶν, αἰσχρῶς καὶ ἀλεεινῶς τὸν βίον κατέλυσαν· οὗτος μὲν τὰς κόρας ἔτι ζῶντος αὐτοῦ μάτης ἐκπηδῶσας τοῦ ὀφθαλμοῦ, Μαξιμῖνος ἀπέλιπε· τὸν δὲ ἄλλην τοιαύτην ἀνάγκην συμφορᾶς. *Ex antiquis enim Imperatoribus qui ſimilia auſi ſint perpetrare, poſt multas eaſque miſerabiles calamitates, fœdo ac miſerabili exitu periere. Alterius enim adhuc viventis pupillæ ex oculis exſiluerunt: Maximini videlicet. Alter furore percitus: alium alio oppreſſus incommodo mortem oppetiit.* Porro Imperatore qui furore percitus obiit, Diocletianus eſt. Id enim de illo teſtantur Euſebius & Conſtantinus. De Maximini autem cæcitate habes apud Epiphanium in libro de ponderibus.

In Caput XI.

ἀπάντων πολεμιώτατος. Scribendum videtur πολέμιος. Vult enim dicere Euſebius, *Maximinum* hoſtem publicum eſſe declaratum. Quod ſolemniter fiebat Senatus conſulto, ut docent Scriptores hiſtoriæ Auguſtæ multis in locis, & præcipuè ubi de *Maximino*.

πικήτου. Picentium verti: quo nomine quidam fuit calumniator Conſtantii temporibus, ut ſcribit Zoſimus in fine lib. 2. Certe Latini Picentes vocant quos Græci πικηνικοὺς.

τῶν καθόλου λόγων ἔπαρχος. Præfectum Præt. intelligere videtur: ἔπαρχος enim non dicitur niſi de Præfectis Prætorio, aut urbi. Adde quod, cùm Euſebius affirmet Picentium ſummis honoribus &

geminato consulatu ornatum fuisse à Maximino, ineptum esset dicere, cum procuratorem summæ rei ab illo factum fuisse, quæ exilis admodum dignitas fuit. Sed contra hanc sententiam facit primò, quòd τῶν καθόλου λόγων vocabulo semper Eusebius Rationalem seu procuratorem summæ rei designat, ut supra notavimus non semel. Deinde Præfectus Præt. Maximini fuit Sabinus, ut supra vidimus anno Christi 311. & 312. Nec verò dignitas illa Procuratoris summæ rei, inter viles ac postremas numeranda est. Nam & Macrianus, is qui sub Gallieno Imperium arripuit, eum honorem gessit; & Eusebius ipse in lib. 8. cap. 10. ἀρχῶν οὐ τῶν τυχοῦσαν appellat, ubi de Philoromo martyre loquitur. Quod autem ait Eusebius, Picentium à Maximino bis ac tertio Consulem factum fuisse, non modicam habet difficultatem. Jam supra observavimus, Maximinum Augusti nomen sibi assumpsisse post obitum Galerij, anno Christi 311. Igitur ante hoc tempus cùm Cæsar tantum esset, Picentium Consulem facere non potuit. Soli enim Augusti creandorum Consulum jus habebant. Itaque post mortem Galerij Maximinus seipsum & Picentium eodem anno Consulem declaravit. Sequente item anno Maximinus II. & Picentius II. Consules fuerunt in Oriente, cùm in Occidente Constantinus II. & Licinius Consules essent: in Italia verò & Africa Maxentius quartum solus. Secuto deinceps anno, qui fuit Christi 313. idem Maximinus III. & Picentius III. Consules in Oriente fuerunt, ut ex hoc insigni Eusebij loco perspicuè colligitur. Neque enim credibile est, Maximinum alteri quidem tribuisse tertium Consulatum, ipsum verò ne semel quidem Consulem fuisse. Certe in Chronico Alexandrino Galerius Maximinus Consul ponitur cum Maximiano VIII. Consule, qui est annus Christi 311. Quanquam in illo Chronico dicitur Galerius Maximus. Nos igitur tres Maximini Consulatus primi omnium observavimus. Ex quibus colligi potest. Maximinum circiter biennio Augustum fuisse, cùm jam antea 7. annis Cæsar fuisset; & ad annum Christi 313. pervenisse. Quod etiam ex Epistolis ejusdem demonstravimus. Proinde miror, unde in Eusebij Chronicon irrepserit adeò gravis error, ut mors Maximini ante cædem Maxentij referatur. Quod quidem Hieronymi culpa commissum videtur, quippe qui Eusebiano Chronico multa de suo addidit.

A

κουλκιανὸς. Fuerat hic Præses Thebaidis, ut testatur Epiphanius in hæresi 68. quæ est Meletianorum his verbis: κουλκιανὸς μὲν ὢν ἔπαρχος τῆς Θηβαΐδος· Ἀλεξανδρείας δὲ ἱερουλῆς. Scribe meo periculo κουλκιανὸς ex hoc Eusebij loco. Rufinus tamen *Quintianum* vertit. Apud Nicephorum λουκιανὸς scribitur; utrumque mendosè. Culcianus enim dicebatur hic Præses, ut præter Eusebium docent Acta passionis Phileæ martyris.

B

θεότεκνον. De hoc Theoteeno Eusebius supra in hoc libro. Hunc Theotecnum Galerio Maximiano persuasisse ut persecutionem adversus Christianos institueret, scribit Cedrenus. Sed fallitur, dùm Galerium Maximianum pro Galerio Maximino accepit, qui solemnis est error recentiorum Græcorum. Pag. 367.

μὴ ἐδέξασθε παιδείαν. Locutio est sacræ Scripturæ. Sic in Psalmo 2. *Apprehendite disciplinam*, & innumeris in locis veteris instrumenti.

C

HENRICI VALESII ANNOTATIONES IN LIBRUM DECIMUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ EUSEBII PAMPHILI.

In Caput 1.

Pag. 368. Ἐρώτατέ με Παυλῖνε. Paulinum intelligit Episcopum Tyri, cui libros suos historiæ Ecclesiasticæ nuncupavit Eusebius. Ejus enim consilio hoc argumentum aggressus fuerat, ut hic non obscurè innuit. Porro Eusebius consulto ac de industria noluit eos libros in principio operis, ut fieri solet, Paulino nuncupare, ob modestiam, ni fallor, Paulini. Sed contentus fuit, in fine operis eum honorificè compellare. Parum enim referre existimavit, in exordio an in fine libros suos ei inscriberet. Eidem Paulino libros duos περὶ τοπικῶν ὀνομάτων nuncupavit Eusebius: quorum prior qui divisionem 12. tribuum, & descriptionem urbis Hierusalem, & externarum gentium Hebraicas appellationes continebat, hodie desideratur. Posterior verò qui est de locis Hebraicis, ante viginti annos græce editus à R. P. Bonfrerio; cui præfixa est Epistola ad Paulinum. In qua Eusebius hortatu Paulini id opus à se susceptum fuisse testatur, eumque compellat his verbis: ἱερὲ θεοῦ ἄνθρωπε Παυλῖνε. Fuit igitur Paulinus ἱερεὺς τῆς Eusebij nostri, sicut Ambrosius olim fuerat Origenis. In eadem Epistola emendandus est obiter levis error qui fefellit Interpretem. Nam ubi legitur ἐξῆς δὲ τούτῳ καὶ ἀκολούθως ἐκείνοις, &c. Scribendum est proculdubio ἐξῆς δὲ τούτῳ, &c. Porro hic Paulinus presbyter primùm fuit Antiochiæ. Inde ad Episcopatum Tyriorum evectus, summa cum laude eam Ecclesiam administravit. Tandemque pulso Antiochena sede Eustathio, ab Antiochensibus evocatus, Antiochiæ præ-